

reputare; & quoniam primo ipsi a nobis, & Sancta Romana Ecclesia, se minus expressis verbis, factis certe, pertinacisque, & obduratae mentis multiplici significatione recesserunt, illos similiter a nobis, tamquam a nostra, & ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae charitate prorsus segregatos haberi nullamque proinde nobis, & ipsi Sanctae Romanae Ecclesiae deinceps cum illis communionem ecclesiasticam exturam, donec (quod faxit Deus) integrè respiscant, rejeque penitus audacia refragandi, per exhibitionem verè obedientiae, quam complures eorum Romano Pontifici Beati Petri successori, ac Jesu Christi Vicario, in ipsamet solemnè professione catholicae fidei, interposita iurjurandi religione, ad sancta Dei evangelia saepius sponderunt, pristinae charitati, & unitati ab eadem Apostolica Sede restitui mereantur. Ad vos postremo, Venerabiles Praetres, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, ceterique omnes ecclesiarum Praesules, gaudium nostrum, & corona nostra, apostolica dilectionis nostrae sermonem convertimus, hortantes vos, & obsecrantes in Domino, ut pro eo, quo polletis, pastoralis zelo, commissas vobis Christi oves a venenatis pascis, id est, profanarum vocum, & doctrinarum novitatis sedulo arceatis, simulque paternam sollicitudinem nostram in revocandis ad saniora consilia quibuscumque dissidentibus efficacius adjuvetis, ita ut vobis indivulsam cum Sancta Romana Ecclesia in doctrina fidei unitatem, quod jam plerique vestrum egregè praestitistis, firmissimè profitentibus, christiani omnes agnoscat vos longè ab illis esse, qui elongaverunt se a nobis, ac illorum damnabilem inobedientiam a nobiscum adversari, & improbare, eosque nisi respicerint, à communis societatis charitate prorsus alienos habere. Utinam qui paternis hæc tenus humilitatis nostrae vocibus reluctati sunt, vobis omnibus non modò argumentibus, obsecrantibus, & increpantibus, sed & ab eorum consortio penitus abstinentibus, erubescant, confundantur, & convertantur, detque illis Deus poenitentiam ad cognoscendam veritatem, ut secundum apostolicam doctrinam, id ipsum tandem dicamus omnes, & non sint in nobis schismata: simus autem perfecti in eosdem sensu, & in eadem sententia, auxiliante nobis per omnia gratia Domini nostri Jesu Christi, cui est honor, & gloria in secula. Amen. Ut autem praesentes literæ ad omnium fidelium quibuscumque locis existentium notitiam facilius perveniant, volumus earum exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eandem prorsus fidem haberi, quæ ipsi originalibus literis haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ admonitionis, edicti, declarationis, hortationis, obsecrationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo decimo octavo, quinto kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno 18. J. Card. Prodatarius. — F. Card. Oliverius. — Visa de Curia L. Sergardus Pro-Abbreviator. — Loco & plumbi. — L. Martineus. — Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo septingentesimo decimo octavo, Indictione undecima, die verò 8. mensis Septembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ XI. anno ejus 18. suprascriptæ literæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, magnæ Curiae Innocentianæ, in acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Antonium Placentinum Apostolicum Cursorum. — Ludovicus Cappellus Mag. Curs. Præter ea, quæ in hoc opere inserta inveniuntur (vid. lit. C. ex pag. 219. ad 229. lit. E. ex pag. 135. ad 149. atque lit. F. ex pag. 10. ad 28.) recognoscere convenit codicem tunc temporis scilicet anno 1719. à Complutensi Doctore D. Josepho de Yermo & Santibañez in lucem editum, cui titulus est: *Defensio Cathedræ Sancti Pe-*

tri, sive in ea pro tempore sedentis Romani Pontificis, ejusque infallibilis magistrerii, independenter à Concilio Generali, & ab acceptione ecclesiae, ad definitendum irrefragabiliter dubia fidei, & morum (&c.)

In re autem dubia, quam regulam sequi debeant sacramentorum Ministri, tradit Pontifex *ibid.* §. 8. & 9. his verbis. Hoc itaque primum advertere debent, an scilicet ei, qui extremum Viaticum postulat, quum antea ad sacram mensam accederet, paschali præsertim tempore, à loci illius Parocho, ubi debebat, Eucharistica Communio administrata fuerit; si enim hæc illi in vita non fuerit denegata, argumento id erit, aut hominem illum ab omni labe immunem, aut saltem non vere notorium peccatorem reputatum fuisse; indeque sequetur, Sacrum Viaticum eidem in exitu vitæ publice postulanti denegari non posse, nisi forte, postquam olim ad Eucharisticam mensam admissus fuit, & ante id tempus, quo postrema sacramenta requirit, aliquid commissæ noscatur, quo publici, & notorii peccatoris notam, juxta præmissa, contraxerit.

Ubi autem ex hac facti specie certum ipsis non suppetat fundamentum, cui insistere valeant, aliunde vero validè adversus ægrotum presumptiones, & indicia gravia, & urgentia militent, ob quæ obortum sibi scriptum rationabiliter deponere nequeant; in his rerum circumstantiis, oportet eos, remotis arbitris, ægrotum alioqui, eique cum omni lenitate, & mansuetudine, non tamquam disputantes, eumque convincere volentes, ostendere, quæ, & qualia sint indicia, quæ suspicuum reddunt ipsius vitæ tenorem; rogantes eum, & obsecrantes, ut respiscat, in eo saltem temporis articulo, à quo æterna ipsius salutis sors pendet; eidem præterea demonstrantes, quod quamvis ipsi parati sint Sanctissimum Corporis Christi Viaticum ei ministrare, non ideo tamen tutus ipse erit ante tribunal Christi, sed potius novi, & horridi criminis reus se conficiat, æ quo iudicium sibi manducavit, & bibit: ceterum se non alia de causa sacramentum Corporis Christi eidem ministraturos, nisi ut Ecclesiae jubenti obtemperet, quæ præter eam, quam habet, curam, ut scandala publica antevertat, pro sua etiam pietate; ægroti ipsius infamiam præcavere studet, licet peccatorem in conspectu Domini reputeet, non tamen in proprio Tribunali publicum, atque notorium peccatorem agnoscit. Hæc ille §. 8. & 9. citatæ constitutionis merito integraliter perlegendæ, & observandæ.

Vide verb. Viaticum.

CONSUETUDO.

SUMMARIUM.

1. Consuetudo dicitur à verbo consuesco, sive consuefacio.
2. Consuetudo est duplex, una facti, & altera juris, & quæ sit utraque, usque ad n. 3.
3. Consuetudo juris est quasi altera lex parem obligandi obtinens potestatem.
4. Consuetudo generatim capta dividitur tripliciter, scilicet, in consuetudinem præter legem, secundum legem & contra legem.
5. Consuetudo præter legem quæ sit.
6. Ad hoc, ut hæc consuetudo obliget, requiritur, quod sit introducta à toto populo, aut majori, & saniori ejus parte cum animo saltem interpretatio se obligandi.
7. Hinc consuetudines, quæ ex devotione populi proficiuntur, non obligant, nec vim legis habent.
8. Insuper ad hoc, ut consuetudo præter legem obliget, requiritur prescriptio, ad quam exposcitur, & sufficit decennium, sive sit consuetudo civilis, sive canonica, etiamsi Princeps sit absens.
9. Consuetudo secundum legem quæ sit.
10. Consuetudo contra legem quæ sit.
11. Hæc consuetudo non potest introduci, nec dari contra Jus divinum, & naturale, ad num. 13.
12. Potest tamen tolli, & penitus abrogari lex humana positiva, sive civilis, sive canonica per contrariam consuetudinem, dummodo ea sit rationabilis, ac legitime prescripta.
13. Ut consuetudo contraria legem humanam positivam tollat, & abroget, requiruntur potissimum duæ conditiones, videlicet, quod talis consuetudo sit rationabilis, & sit legitime prescripta.
14. Quæ consuetudo dicatur rationabilis.
15. Adducitur, & solvitur instantia, usque ad num. 18.
16. Consuetudo, quando dicatur legitime prescripta.
17. Tempus requisitum, & sufficiens, ut consuetudo censetur legitime prescripta pro abolenda, & abroganda lege civili, est decennium; pro abolenda tamen, & abroganda lege canonica est spatium quadraginta annorum, ad n. 22.
18. Probabile tamen est, quod etiam pro abolenda, & abroganda lege canonica sufficit decennium, sicuti pro abolenda lege civili, usque ad n. 25.
19. Pro abolenda, & abroganda lege, sive civili, sive canonica, per contrariam consuetudinem via convenienter introduci, probabilis non est requiri rigorosum, & determinatum tempus prescriptiois.
20. Consuetudo contra legem duplici modo potest introduci, scilicet, per viam convenientiæ, & per viam prescriptiois, ad n. 28.
21. Ad abrogandam legem per consuetudinem via convenienter introduci non requiritur bona fides.
22. Ad abrogandam tamen legem per consuetudinem via prescriptiois introduci non requiritur bona fides.
23. Licet primi legem transgredientes non possint ob suam malam fidem prescriptionem, ipsamque consuetudinem inchoare; posteri tamen eorum exempla bona fide sequentes possunt prescriptionem, ipsamque consuetudinem inchoare.
24. Consuetudo à lege reprobata, & damnata tamquam irrationalis, & bonis moribus repugnans non potest, licet sit immemorabilis, abrogare legem.
25. Consuetudo à lege, seu constitutione, reprobata tamquam irrationalis, & iniqua, intelligitur nedum de consuetudine præterite, seu existente, sed etiam de futura.
26. Si vero non superveniat causa tollens irrationalitatem, & iniquitatem, quæ ab initio inesse videbatur consuetudini, tunc potest induci valida consuetudo adversus eam legem, non obstante tali reprobatione.
27. Per legem universalem, seu clausulam generalem abrogatur consuetudo nisi v. gr. non obstante quacunque consuetudine, aut ejusmodi, non abrogatur consuetudo immemorabilis, nisi de ea fiat specialis mentio.
28. Consuetudo, in quo principaliter differat à prescriptione, ad n. 38.
29. Addit. ex altera manu, & novissima, ad n. 74.

recausis scriptis legibus non utitur id custodire oportet, quod moribus, & consuetudine introductum est... Quia enim interest suffragis populus suum voluntatem declararet, an rebus & factis? ... Invetrata consuetudo pro lege non immerito custodiatur; & hoc est Jus, quod dicitur moribus institutum. Et in l. seq. Diuturna consuetudo pro Jure, & lege in his, quæ non ex scripto descendunt, observari solet." Et l. 35. ff. eod. "Sed ea quæ longa consuetudine approbata sunt, & per annos plurimos observata, veluti tacita civium conventio, non minus quam ea, quæ scripta sunt Jura, servantur."

Consuetudo generatim capta dividitur tripliciter, scilicet, in consuetudinem præter legem, secundum legem, & contra legem. Consuetudo præter legem, (quæ de Juris constitutio dicitur) est illa, quæ reperitur in casibus illis, qui à Jure communi non sunt decisi, & his solum convenit definitio tradita ab Isidoro supra num. 3. cum hæc sola habeat pro suo esse constitutur Jus novum, ubi lex deficit, seu nulla lex posita fuit, & talis consuetudo quamvis non scripta obligat æque in conscientia ac foro externo, sicuti obligat lex scripta; l. De quibus 22. ff. de legibus; ubi cum Jurisconsultus dixisset inveteratam consuetudinem pro lege non immerito custodiri, hanc rationem reddit, "Nam cum ipsæ leges non teneant, quia iudicio populi receptæ sunt, etiam ea, quæ sine ullo scripto populus probavit, omnes tenebunt." Et §. Ex non scripto, Instit. de Jur. nat. gent. civil. sic habetur: "Ex non scripto Jus venit, quod usus approbat, nam diuturni mores consensu utentium comprobati Jussefiunt;" quia enim ut ait S. Thomas 1.2. quest. 97. art. 3. "per exteriores actus multiplicatos interior voluntatis motus, & rationis conceptus efficacissime declaratur; hinc quando aliquid multoties fit, videtur ex deliberato rationis iudicio provenire, & sic consuetudo re ipsa fit lex communitatis approbantis actus repetitos populi, & inde inoponit obligationem ad actus ejusmodi postea ponendos." Et ad hoc faciunt omnia alia Jura adducta supra num. 4. Ad hoc autem ut hæc consuetudo obliget, requiritur, quod sit introducta à toto populo, aut majori, & saniori ejus parte cum animo saltem interpretatio se obligandi, seu introducendum consuetudinem obligatoriam, videlicet, faciendi novam legem, seu Jus non scriptum. Glossa in cap. Cum tanto 11. de consuetud. verb. Legitime sit prescripta: & ibi Abbas n. 17. Pitking n. 28. Suarez lib. 7. de legibus cap. 4. num. 5. & 6. & alii. Et ratio est, quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorum l. Non omnis 16. de rebus cred. cap. Cum olim 38. de præbenda. Hinc consuetudines, quæ ex devotione populi proficiuntur, non obligant, nec vim legis habent, ut ex communi Doctorum sunt consuetudines salutandi Deiparam dato signo certis horis, audiendi missam diebus non festivis; accipiendi initio Quadragesimæ cinerem benedictum, aquam benedictam in ingressu ecclesie, & similes usus frequentati, & continuati à majore parte populi christiani ex libera devotione, quibus non inducitur consuetudo obligatoria. Insuper ad hoc ut consuetudo præter legem obliget, requiritur prescriptio, ad quam exposcitur, & sufficit decennium, sive sit consuetudo civilis, sive canonica, vel ecclesiastica, etiamsi Princeps sit absens; Gloss. l. cap. & alii communiter, ex cap. Consuetudo 7. dist. 12. & lib. 1. cap. Quæ sit longa consuetudo, l. Sed ea, ff. de legibus, l. Super longi, cap. De prescript. longi temp. §. 1. Instit. de usucap. Consuetudo secundum legem, quæ non est Juris, sed facti tantum, est illa, quæ legem jam præexistentem supponit, eamque vel deductit usus, vel si ambigua est, interpretatur; unde hæc consuetudo juris præexistens confirmat, & adjuvat deducendo illud ad executionem, & observantiam; cap. In istis 3. dist. 4. ibi: "Leges firmantur, cum moribus utentium approbantur." Ita moribus utentium ipsæ leges confirmantur." & cap. Sopite 14. de censibus, ibi: "Unde utique videmus intentionem tuam Jure communi, & prædecessorum tuorum consuetudine adjuvari;" aut Jus dubium interpretatur, juxta leg. Si de interpretatione 57. ff. de legibus, ibi: "Si de interpretatione legis quæzatur, in primis inspicendum est,

quo Jure civitas retro in ejusmodi casibus usa fuit. Optima enim legum interpretis consuetudo, & cap. Cum dilectus 8. de consuetudine, ibi: "Contra consuetudinem approbatam, quae optima est legum interpretis."

11 Consuetudo contra legem est illa, quae legescripta, vel usu nunquam recepta fuit, vel jam recepta usu contrario de novo tollitur, & de hac praecipue sermo est in proposito.

12 Haec consuetudo non potest introduci, nec dari potest contra Jus divinum & naturale, seu contra legem divinum, & naturalem, textu expresso in cap. Cum tanto 11. de consuetudina, ibi: "Nemo sane mentis intelligit naturali Juri, cujus transgressio periculum salutis inducit, quacumque consuetudine (quae dicenda est verus in hac parte corruptela) posse aliquatenus derogari." Et de hoc salutis periculo, quod induceretur per consuetudinem contra legem divinum, & naturalem, rationem reddit Gregorius IX. in cit. cap. dicens: "Cum tanto sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligata." Hinc prava consuetudo fornicandi, blasphemandi, vel pejerandi, nunquam potest tollere legem divinum de non fornicando, de non blasphemando, de non pejerando. Communissima, & certissima. Potest tamen tolli, & penitus abrogari lex humana positiva sive civilis, sive canonica per contrariam consuetudinem, dummodo ea sit rationalis, ac legitime praescripta, textu expresso in cap. Cum tanto: ibi: "Licet etiam longeva consuetudinis non sit vilis auctoritas; non tamen est usque adeo valitura, ut vel Juri positivo debeat praevicere, nisi fuerit rationalis, & legitime praescripta. Est communis." Vide infra num. 38.

15 Hinc colligitur, duas potissimum conditiones esse necessarias, ut contraria consuetudo legem humanam positivam tollat, & abroget, videlicet, ut talis consuetudo sit rationalis, & sit legitime praescripta; cit. cap. Cum tanto, in fine, ibi: Nisi fuerit rationalis, & legitime praescripta.

16 Ea autem consuetudo generatim loquendo censetur rationalis, quae nec Juri naturali, aut divino adversatur, neque jure canonico reprobatum, neque peccandi licentiam, aut occasionem praebet, neque alia ratione communi utilitati perniciosa est; quae vero in aliquo deficit, censetur irrationalis, & consequenter nunquam potest induci peractus legi contrarios. Sic Layman lib. 1. tract. 4. cap. 24. n. 4. Roch. in cap. ult. de consuet. n. 26. Suarez lib. 7. de legibus cap. 6. n. 10. Azor. part. 1. lib. 3. cap. 17. q. 4. Reiffenst. lib. 1. de decr. tit. 4. n. 34. & alii plures.

17 Nec valet dicere, quod omnis lex debet esse rationalis, & justa, & reipublice utilis; cap. Erit autem lex 2. dist. 4. §. l. g. Cod. de legibus, & consequenter consuetudo ei directe contraria necessario erit irrationalis, injusta, & reipublice perniciosa, quia si unum ex contrariis est rationale &c. necesse est alterum esse irrationabile &c. Non valet, inquam, quia utraque, lex scilicet, & consuetudo ei directe contraria potest esse rationalis, utilis secundum diversas rationes, & in ordine ad diversos fines, ac respectus: nam quamvis consuetudo contra legem introducta uno fine, seu consideratione; ob quam lex condita, minus sit utilis, & rationalis, tamen alio fine, seu consideratione potest esse etiam utilis, & rationalis, quia licet consuetudo contraria legi sit contra rationem particularem talis legis, non est tamen contra omnem aliam rationem; sicut etiam duae oppositae, & contrariae sententiae non raro sunt simul probabiles, atque duae contrariae leges (prout accidit in mutatione, & abrogatione legum) solent esse rationabiles, ob diversas rationes, & consideraciones, & respectus, ut cap. Non debet 8. de Consanguinitate, & affinitate, ubi sic expresse habetur: "Non debet reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, praesertim cum urgent necessitates, vel evidens utilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex his, quae in veteri testamento staturat, nonnulla mutavit in novo; cum ergo prohibitiones de conjugio in secundo, & tertio affinitatis genere minime contrahendo &c."

19 Consuetudo tunc dicitur legitime praescripta, cum tempore a legibus definita est continuata. Consuetudo enim legitime praescripta, idem est ac usus longaevis, seu lon-

ga consuetudo, prout appellatur in cap. Cum consuetudinis 9. & cap. Cum tanto 11. de consuetud. & in eodem tit. Quo sit longa consuetudo. Tempus autem requisitum, & sufficiens, ut consuetudo censetur legitime praescripta, ita ut legem tollat, & abroget, pro abolenda, & abroganda lege civili, est decennium. Communis. Et ratio est, quia consuetudo ut legem civilem tollat, & abroget, debet esse longa; lib. 1. Cod. Quo longa sit consuetudo, ibi: "Et ne quid contra longam consuetudinem fiat, ad sollicitudinem suam revocabit Praeses;" sed per longam consuetudinem intelligitur illa, quae decennio duravit, nam decennium in Jure vocatur longum tempus; leg. Super longi, Cod. de praescript. longi tempor. ibi: Super longi temporis praescriptione, quae ex decem annis introducit. Pro abolenda tamen, & abroganda lege canonica seu ecclesiastica, requiritur spatium quadraginta annorum, id est, consuetudo spatio quadraginta annorum continuata. Rota part. 1. Receptor. decr. 497. num. 4. part. 5. tom. 1. decr. 373. num. 10. & part. 13. decr. 233. num. 22. Glossa in cap. Cum tanto 11. verb. Consuetudo, verb. Legitime & ibi Abbas num. 11. Innotia in cap. Treguas 1. de Tregua, & Pace num. 13., & ibid. Pagnan. num. 40. & 67. Layman lib. 1. tract. 3. cap. De legibus num. 6. cum multis ibi citatis, Diana cum pluribus aliis sic citatis part. 5. tract. 5. resolut. 2. §. Sed quid ergo, asserens se hanc sententiam tenere auctoritate Rotae Romanae, quae semper eam canonizavit, ut patet ex decisionibus mox citatis. Et ratio est, quia lex canonica, seu ecclesiastica, est Jus quoddam, sive res immobilis ecclesiae, ac subinde etiam leges ecclesiasticae comprehenduntur sub illa lege canonica, quae generatim statuit, contra res immobiles, & Jura ecclesiae non praescribi, nisi spatio quadraginta annorum; cap. De quarta 4. cap. Ad aures 6. cap. Audistis 15. de praescript. cap. Cum ecclesia 3. de causa possessionis.

Probabile tamen est quod etiam pro abolenda, & abroganda lege canonica, seu ecclesiastica, sufficit decennium, sicut pro abolenda lege civili. Sussius lib. 3. de Just. & Jure cap. 6. n. 42. Lugo disp. 7. de Just. & Jure sect. 6. n. 64. Azorius part. 1. lib. 5. cap. 18. q. 6. Castropalao part. 1. tract. 3. disp. 3. punct. 2. §. 2. n. 9. Sanig. dist. 4. de legibus q. 1. n. 5. Christophorus Haunoldus 1. de Just. & Jure tract. 1. cap. 3. controv. 2. num. 130. Pirhing lib. 1. de decr. tit. 4. de consuet. n. 39. Reiffenstuel ibid. n. 105. qui nemum hanc sententiam censent probabillem, sed etiam probabiliorum. Et ratio est, quia non est 24 inducenda discrepantia inter Jus civile, & canonium, ubi non habetur expressa dispositio Juris in contrarium cap. Intelleximus 1. de novi operis nunciatione; sed pro abolenda lege civili per consuetudinem contrariam sufficit decennium, ut dictum est n. 19., & in Jure canonico quoad hoc non reperitur expressa dispositio in contrarium, ergo &c. Nec obstat, dicunt citati Doctores, quod in cit. cap. De quarta 4. cap. Ad aures 6. cap. Audistis 15. de praescriptionibus, cap. Cum ecclesia 3. de causa possessionis, & in aliis consimilibus, ad praescribendum contra bona, & Jura ecclesiastica requiritur spatium quadraginta annorum; respondetur enim, quod ibi est sermo de praescriptione contra bona immobilia ecclesiarum, atque earum Jura, utpote quae sunt instar bonorum immobilium, prout desumitur ex ipsonem textu; non autem de praescriptione contra leges ecclesiasticas, sive canonicas; alioquin enim cum contra Romanam ecclesiam non currat nisi centenaria praescriptio, cap. Ad audientiam 13. cap. Cum nobis 14. de praescript. Leges Pontificiae non nisi centenaria praescriptione, seu consuetudine in contrarium abrogari possent, quod est contra communem Doctorem.

Pro abolenda, & abroganda lege sive civili, sive canonica per contrariam consuetudinem via convenientiae introductam, probabilis est non requiri rigorosum, & determinatum tempus praescriptionis, sed sufficere, quod tanto tempore consuetudo sit continuata, quantum viris prudentibus sufficit ad rationaliter iudicandum Principem in eam consensisse. Ita Lessius lib. 2. de Justit. & Jure cap. 6. num. 45. Vericelli tract. 3. quaest. 2. numer. 32. & tract. 8. quaest. 52. num. 9. Pirhing lib. 1. de decr. tit. 4. de consuetud. num. 34. Reiffenst. ibid. 93.

& alii. Et ratio est, quia dum Principes scit suam legem non servari, & tacet, & tolerat, jam censetur connivendo consentire, & ne respublica perturbetur, condita a se legis obligationem tollere, & eamque revocare. In tali enim casu lex proprie non tollitur ab inferioribus, sive per contrarium horum consuetudinem, ac via praescriptionis, sed potius ab ipsomet Principe, seu per tacitam ejus revocationem, ac via convenientiae. Hic advertendum venit, quod consuetudo contra legem duplici modo potest introduci. Primo modo per viam convenientiae, id est, ex consensu saltem tacito Principis, seu Legislatoris, eo scilicet sciente, & tolerante, cum facilliter posset resistere introductioni consuetudinis contrariae, eamque prohibendo subditos cogere ad observantiam legis; in tali enim casu Princeps sciens, ac tolerans censetur connivere tali consuetudini contra suam legem vigenti. Secundo modo per viam praescriptionis, id est, longaevisi consuetudinis, ignorante, & nesciente Principe.

Ad abrogandam legem per consuetudinem via convenientiae introductam, non requiritur bona fides, quia tunc abrogatio legis non procedit ab ipsis actibus contrariis, qui quidem facti cum scientia legis contrariae, in principio, in fieri consuetudinis fuerunt mali; sed a consensu saltem tacito Legislatoris, qui sciens, & potens facilliter contradicere, si vellet, tolerat, & non contradicit, & sic lex censetur per tacitam Principis, seu Legislatoris revocationem abrogari, unde mirum non est si bona fides non requiratur. Sic Layman lib. 1. Theol. mor. tract. 4. cap. 24. n. 8. & 11. Pirhing loc. cit. n. 44. & alii passim. Ad abrogandam tamen legem per consuetudinem via praescriptionis introductam, requiritur necessario bona fides, seu probabilis ignorantia praescribentium, sine qua nulla incipere, vel currere potest praescriptio; cap. Quoniam 20. de praescript. ibi: "Synodali iudicio definitum, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica, quam civilis;" & cap. Possessor 2. de reg. Juris in 6. ibi: Possessor male fidei uli tempore non praescribit; ac proinde neque consuetudo praescriptiva inchoari potest, aut procedere sine bona fide, cum ipsa debeat esse justa, & rationalis, ac legitime sive canonice praescripta; cap. Cum tanto 11. de consuetud. Glossa in cap. Non est 3. de consuetud. in 6. verb. Canonice. Suarez lib. 4. defensionis Fidei Catholice, cap. 32. n. 20. Lessius lib. 2. cap. 6. n. 45. Layman loc. cit. n. 11. Azorius part. 1. l. 5. cap. 17. quaest. 6. Pirhing loc. cit. n. 44. Silvester verb. Consuetudo q. 7. & alii plures. Hic tamen est advertendum, quod licet primi legem reipublicae utilem cognoscentes, eamque illicite transgredientes, non possint ob suam malam fidem praescriptionem, ipsamque consuetudinem re ipsa inchoare; posterius tamen, qui eorum exempla secuti bona fide legem non observant, eo quod existimare, & in dubio praesumere possunt, antecessores habuisse justam causam non servandi legem, possunt praescriptionem, ipsamque consuetudinem inchoare, vel quasi bona fide ab antecessoribus inchoata fuisset, eandem continuare, & perficere, prout optime explicat Layman loc. cit. n. 11. ex Scoto, qui l. 1. de Just. q. 7. art. 2. ad 12. habet praecisa verba: "Ut lex positiva antiquetur, consuetudo etiam illa, quae illicite habet ortum, potest, licet non apud eosdem homines, tamen apud posteros vim obtinere." Et sic etiam docet Abbas in cap. Treguas 1. de Tregua, & pace n. 4. Felin. lib. 1. Silvester verb. Consuetudo q. 7. Azorius loc. cit. Pirhing loc. cit. num. 44. & hanc esse communem sententiam testatur Rochus in cap. ultimi de consuetud. sect. 4.

Consuetudo a lege reprobatam, & damnata tamquam irrationabilis, & bonis moribus repugnans, non potest, licet sit immemorabilis, abrogari legem; sic colligitur ex cap. Ad audientiam 3. cap. Cum inter 5. & cap. Ex parte 10. de consuetud. & cap. Consuetudinem 1. eodem in 6. Et ratio est, quia quando leges aliquam consuetudinem tamquam simpliciter, & absolute irrationabilem damnant, hoc ipso reddunt illam inefficacem ad inducendam praescriptionem contra legem. Ita communis Doctores; atque etiam desumitur ex cap. Cum venerabilis 7. & cap. Cum tanto 11. de consuetud. ubi dicitur, quod talis non tam consuetudo, quam corruptela merito

sit censenda; adeoque quantumvis immemorabilis non potest abrogare legem, & sic non est servanda. Consuetudo a lege, seu constitutione reprobatam tamquam irrationabilis, & iniqua, intelligitur nedum de consuetudine praesente, seu existente, sed etiam de futura; cap. Ad audientiam nostram 3. cap. Cum inter 5. de consuetud. ubi talis ex postfacto introducta consuetudo non valere declaratur; lex enim de sui natura in futurum, atque etiam ad futuros casus ordinatur; cap. ultimi de consuetud. & leg. Leges, Cod. de legibus; ergo ubi lex reprobat consuetudinem tamquam irrationabilem, & iniquam, etiam futura reprobare intelligitur, si etiam ipsa irrationabilis, & iniqua adhuc existat. Si vero nova superveniat causa tollens irrationabilitatem, & iniquitatem, quae ab initio inesse videbatur consuetudini, quando Legislator eam ut irrationabilem, & iniquam probavit, tunc potest induci valida consuetudo adversus eam legem, non obstante tali reprobatione; Glossa in cap. Licet 1. de consuetudinibus in 6. verb. Expressa: juncta Glossa marginali, ibi: Nisi consuetudo juvaretur nova ratione, Abbas in cap. Cum tanto 11. de consuetud. id probans ex cap. Non debet 8. de consanguinitate, & affinitate, ubi dicitur non debere reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum (sive rationum) leges mutantur; vide verba textus num. 17. & l. Si hominum, ff. Mandati, ubi generaliter procurator potest ex justa causa de novo superveniente, vel antea ignorata, mutare ea, quae a domino specialiter sunt provisae; Et hoc est certissimum, quia ratio legis est anima legis, ergo superveniente nova ratione sive causa, quae tollit irrationabilitatem, & iniquitatem reprobatam consuetudinis, censetur etiam tolli ipsamet lex hanc reprobandam; arg. Intellectus 6. de verb. significat. cum similibus; quoties enim circumstantiae legis sunt mutatae, prudenter iudicatur, Legislatorem consentire in consuetudinem eam abrogantem.

Per legem universalem, seu clausulam generalem abrogativam consuetudinis, v. g. non obstante quacumque consuetudine, aut hujusmodi, non abrogatur consuetudo immemorabilis, nisi de ea fiat specialis mentio. Covarrubias lib. 5. variar. resolut. cap. 13. num. 5. Baldus l. unico. Cod. de annone, & Barbosa clausul. 87. num. 4. & 8. allegans plurimos alios; Maschard. de probationibus, consuetud. 424. num. 4. Castropalao part. 1. tract. 3. disp. 3. punct. 5. §. 1. num. 10. asserens hanc esse communem sententiam: Et ratio est, quia consuetudo immemorabilis habet majorem vim, & auctoritatem, quam aliae consuetudines, ut patet ex l. Hoc Jure §. Ductus aquae, ff. de aqua quotidiana, adeoque necesse est, ut ea specialiter, & expresse abrogetur, alioquin valebit. Exemplum hujus habetur in cap. Si Episcopus 2. de penitent. & remissionem. in 6. ubi dicitur nulla posse consuetudine induci, quod aliquis praeter sui Superioris licentiam possit sibi eligere Confessarium, & tamen ante Concilium Tridentinum simplices Presbyteri sibi invicem confitebantur, suffragante videlicet ipsi consuetudine immemorabili, quam postmodum expresse revocavit d. Tridentinum sess. 23. cap. 15. de reformat. ibi: Privilegiis, & consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus; & quod consuetudo immemorabilis non comprehendatur sub generali revocatione consuetudinum, sed ad ejus abrogationem requiratur specialis mentio per legem etiam immemorabilis, aut hujusmodi, expresse decrevit Sacra Congregatio, teste Pagn. in cap. Ad hac num. 34. de relig. domib.

Consuetudo principaliter differt a praescriptione, quia praescriptio datur inter privatos, & a privatis inducitur. Consuetudo vero non inducitur nisi a communitate, cum ipsa sit lex, & Jus non scriptum; leg. de quibus 32. ff. de legibus §. sine scripto. g. instit. de iure naturali. Unde paucis loquendo: Ex consuetudine acquiritur publico, ex praescriptione acquiritur privato.

Consuetudo contraria decretis Sacri Concilii Tridentini non est attendenda, quia in bulla Pij V. quae legitur in fine ejusdem Concilii, habetur decretum irritans ea omnia, quae obstant eidem Sacro Concilio, ex quo fluit, ut irritatio ista cadat supra omnia obstantia sim-

gulis capitulis ejusdem. *Instit. eccler. 6o. §. 8.*

38 Consuetudo rationalis, & legitime præscripta abrogat omnem legem humanam etiam canonicam, ex textu in cap. final. in *Consuet.* Nefas tamén est Episcopo juxta consuetudinem diocesis suæ contra canones legem condere; quod enim valeat consuetudo, est ex quadam tolerantia superioris legislatoris; nimia autem esset arrogantia, si Episcopus legem conderet contra legem superioris. *De synodo dioc. lib. 7. cap. 71. §. 7.*

Qui plura, & distinctiora cupit hac super re adeat editionem quartam Romanam Theolog. Moralibus Rev. P. Antoine tract. de legibus cap. 9. §. 1.

39 An ad inducendam consuetudinem in statu monarchico opus sit scientia, & patientia Principis, mire inter se variant Auctores. Negant alii, Hann. ad Wesembec. lib. 1. tit. 3. n. 10. *Christin. dec. Belgic. vol. 2. dec. 55. n. 6.* Alii affirmant, Treutler. *select. disp. vol. 1. disp. 1. thes. 9. lit. D.* Strykius *de usu modern. Pandect. lib. 1. tit. 3. n. 65.* Contrarias hæc opinioniones ita alii conciliant, ut procedat opinio negativa, si agatur de consuetudine præter legem, procedat vero opinio affirmativa, si de consuetudine contra legem agatur: Tulden. in *cod. tit. Quæ sit long. consuet. n. 1.* Bohemer, in *introduc. in jus digest. l. 1. tit. 3. n. 19.* Alii alia placent conciliationes, de quibus consule Hunn. ad Treutler. *select. disp. vol. 1. disp. 1. §. 54.* Mihi negativa opinio arridet, & quidem sive res sit de consuetudine præter legem, sive de consuetudine contra legem, idque quia tum in jure civili, leg. 33. §. plur. *seq. ff. de legib. leg. 1. §. 3. cap. Quæ sit long. consuetud. tum in jure canonico, cap. final. de consuetud.*

44 generaliter probata est quævis consuetudo. Non est ergo cur ad ipsam inducendam necessaria esse possit scientia, & patientia Principis, si ea probata jam est à Principe.

45 Et quod præterendum haud est, in *dist. cap. fin. de consuet.* probata est consuetudo contraria juri positivo, modo tamen sit rationalis, & legitime præscripta.

46 Ceterum si lex aliqua noninatinim prohibeat consuetudinem sibi contrariam, tunc opus esse videtur scientiæ & patientiæ Principis ad consuetudinem inducendam, quum pro consuetudine hæc non militet mox adducta ratio, quod Princeps probavit consuetudinem. Quod si consuetudo expressis verbis prohibita à lege sit immemorabilis, præsumitur scientia, & patientia Principis.

47 *** Consuetudinem, quæ est contraria bonis moribus, aut juri naturali, non tam pro consuetudine, quam pro abusu & corruptela reputandam esse, compertum est.

51 Non omnium consuetudinum eadem est vis, & auctoritas.

52 Et quidem quædam sunt consuetudines, quæ auctoritati, etiam Sacræ Scripturæ, cedere non debent, utpote quæ ex traditione apostolica ad nos transmissæ habentur.

53 Sunt consuetudines, quas universalis per orbem diffusa ecclesia servat, & quæ ab Apostolis ad nos dimanata creduntur.

54 Alia vero quæ nec contra Scripturam Sacram, nec contra bonos mores esse noscuntur; ac variæ & diversæ pro varietate locorum & populorum reperuntur; de quibus agit Sanctus Augustinus epistola ad Casulanum.

55 Quæ omnes consuetudines, etsi inveteratæ, cum vix, aut omnino nunquam inveniiri possint causæ, quas in eis instituendis homines secuti sunt, sine ulla dubitatione rescandæ & extirpandæ sunt.

56 Non locus consuetudinem, sed consuetudo locum commendat, ut docet Gratianus *can. 10.* sive quod ea sit accipienda consuetudo, sine differentia locorum, quæ pro omnipotenti Deo possit placere.

57 Consuetudines pias & laudabiles observari jussit S. Carolus in suo Concilio Mediolan. I.

58 Consuetudo, quæ omnino rationi & veritati conformis est, ex Divo Augustino, retinenda esse videtur; ait enim ipse Sanctus Doctor *can. 7. Cum consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri.*

59 Mutationem antiquarum consuetudinum & inveteratorum morum solere esse causam turbationis, multaque secum incommoda trahere in rempublicam christianam, fusiùs ostendit Franciscus Salga-

do in tract. de supplicat. ad Sanctiss. part. 1. cap. 6.

A consuetudine suæ ecclesie quoad ritus non facile recedendum est, eo quod hujusmodi licentia paulatim latus serpens, confusionem, aliæque incommoda in ipsos sacros ritus & sacramentorum administrationem inducere posset.

In officiis & honoribus exhibendis non modo videndum est quid lege sancitum, sed quid consuetudine valeat; adeo ut in juribus honorificis exhibendis plurimè semper faciendæ sit recepta consuetudo; ita Franciscus de Roye *lib. 2. cap. 5. de juribus honorificis.*

Consuetudo canones in totum abrogare non potest, eo quod ipsi quandoque non tantum juri mere positivo, sed etiam naturali inniti videntur.

Canones autem quæ versantur circa ea quæ sunt juris nature, neutiquam abrogari consuetudine possunt, vel ulla humana relaxatione immutati.

Consuetudine abrogari potest tam jus commune, quam statutarium.

Præsertim si jus quod alicui tribuitur, non est prohibens, sed concedens.

Circa consuetudinem, quatuor casus figurari valent, in quibus ipsa adesse potest. *Primus est* quando jus est conforme consuetudini, disponendo id quod consuetudo recipit: & tunc ista non est consuetudo, sed observantia legis. *Secundus*, quando jus est simpliciter contrarium consuetudini disponendo id, contra quod introducta fuit consuetudo; & tunc ista dicitur consuetudo contra simplicem dispositionem juris, quæ sola quadragenaria induci potest. *Tertius est*, ut quando jus est nedum contrarium consuetudini, sed illi resistit derogando, & prohibendo contrarium usum, & tunc requiritur quadragenaria cum titulo vel immemorabilis. *Quartus casus est*, quando jus nec assistit, nec resistit consuetudini, sive per contrarietatem, sive per resistantiam prohibivam, & tunc dicitur consuetudo interpretativa, quæ datur in re dubia, & potest per decennium introduci.

Consuetudo ut vim & auctoritatem legis habeat, tria concurrere debent, videlicet usum longævum, Principis consensus, & rationalis causa; ita Doctores omnes in *leg. de quibus*, de consuetudine agentes.

Quot anni desiderantur ad inducendam consuetudinem vim legis habentem, non constat apud Doctores: Glossa & Bartolus docent decem vel viginti annis induci perfectissimam consuetudinem; Hottomanus vero & Mela existimant tantum tempus desiderari, quantum superstium hominum nec ætas, nec memoria comprehendere possit.

Quidquid sit, receptor opinio est illorum, qui discrimen constituunt inter consuetudinem, quæ est præter jus, & eam quæ est contra jus, ita ut si sit præter jus scriptum, desiderantur tantum decem anni; si vero contra jus, desiderantur quadraginta.

Sed sive per decem sive per quadraginta annos inducatur consuetudo, debent per illud tempus actus populi intervenire; quia non verbis, sed factis consuetudo introducitur; qui quidem actus debent esse voluntarii & non coacti, ut pluribus relatis defendit Avendanus *de metu lib. 2. cap. 36.* Hi actus debent etiam esse uniformes, cum ex dissimilibus consensus colligi non possit.

Ut consuetudo vim legis obtineat, desideratur Principis consensus sive approbatio, & hæc vel tacita, vel expressa.

Consensus Principis debet esse rationalis, ita ut juxta rationem nitatur, sive rationi non repugnet, quia lege statui potuit; eadem enim est materia legis, justitiæ, & consuetudinis; nam consuetudo est tacita quadam lex, leg. 3. *Quæ sit longa consuetudo.* Irrationabilis enim consuetudo corruptela est, quæ nec immemorabili tempore præscribi potest. ***

(In præcedentis doctrinæ comprobationem sufficiens videbatur eorum recognitio, quæ lit. A pag. 112. in *addit. hisp. col. 1. 225. col. 2. in novis. §. lit. D. pag. 79. col. 1. vers. Quamvis* : proponuntur; non offit mente præsertim retinere in *addit. hisp. verb. Declinæ art. 3. exposita*, ubi de recursu lingua vernaculæ de *noveus dicamus* mentio intercedit, nam petivum est omni-

nibus, jure esse determinatum, decimam solvi debere: & quamvis (*vid. ibi Auctor. doctrinam*) quoad quotam aliud medietur, quod solutionem non dari exemptionem suadet: sustinetur nihilominus recursus: & si per consuetudinem non solutio alienius speciei exponatur, exactio ejus ulla haud est permittenda.

Etiamsi per 1. 2. part. 1. comprobantia antecedentia ferre ostendantur, de singulis in eo contentis meminisse oportet. In *proœmio* hujus tituli asseritur, tria esse quæ vim legis aut imminuunt, aut tollunt, scilicet *usus*, *consuetudo* seu *forum*: imaginem propositam litterarum, eo quod sicuti ex eis *verbum* oritur, ex hoc *ratio*, ita ex tempore *usus*, ex usu *consuetudo*, atque ex hac *forum*. De his omnibus agit. *Usus per l. 1. describitur*: est res ex eis ab homine nonnumquam dictis, factis, ac permagno tempore, absque aliquo impedimento frequentatis orum ducens. *Per l. 2. præscribitur* ejus objectum, & à quibus est ei assentiendum: sine incommodo alicujus, pro communi utilitate, palam fieri debet, ita ut ab hominibus haud imperitis hujus scientia habeatur. *Per l. 3. quinque præsternitur*, cur per usum tempuslucrat, videlicet commodum si sequitur: ad omnium oculos, atque ex certa scientia: si fiat cum illorum beneplacito, & voluntate sub quorum imperio degunt: contra jus, nisi abrogatio præcesserit, vires non accipit: denique si domini mandatum intercedat, sed tunc equidem dupliciter tempus acquiritur, majus & minus; in hoc usum ad operandum non excusat, secus in illo. *Per leg. 4. quid sit consuetudo*, denotatur: jus aut forum non scriptum *prout ab Auctore*, definitur: consuetudinis tres sunt species, quamquam in generalem, & particularem dividatur: dum super re particulari, sive in loco, personæ cadit, dum super universalitate in omnibus, & tandem super aliquibus factis singularibus, in quibus homines firmiter consistunt. *Per leg. 5. quid sit populus*, demonstratur: à gentium cœtu, invicem se in aliquo territorio coherentium, inter quas omnis homo, mulier, clericus (*vid. lit. R. pag. 56. num. 148.*) aut laicus sive fuerit, continetur, assumitur denominatio; hic equidem populus; ejusve major pars, si per decem & viginti annos aliquid in effectum perduxerit, domino soli sciente, & non contradicente, consuetudinem efficere valet, cujus observantia procuranda, dummodo in iudicio contraditorio, & in sum favorem duæ sententiæ interea temporis fuerint prolata: ut observari præcipiatur, debere esse rationabilem, constat, immo si contra Dei legem, diadematis jura, naturalia, sive publicam utilitatem, nullius erit firmitatis, tamquam damnum, & non justitia ex tali consuetudine proveniens. *Per leg. 6. vis juxta consuetudinis & rationalis* in publicum redigitur, locumque sibi vindicat in iudiciis, nam juxta eam præferri potest sententia, si jus scriptum deficiat: ut lex attendi debet: si hujus fuerit dubia determinatio, consuetudo legem declaravit, quia ejus est interpres: antiquis & abrogare, & derogare valet, generalis aut sit particularis, propter præsumptam Principis scientiam, tempore ut *supra* transacto: quantum sic observatum attenditur; ceterum non semper, nam consuetudo, etsi juxta videatur, dupliciter dissolvitur, aut per aliam contrariam sub eisdem circumstantiis posteriori in tempore observatam, seu per leges, & forum noviter promulgata, dum in nihilo cum præcedenti consuetudine habeant conformitatem. *Per leg. 7. forum describitur* jus ab usu, & consuetudine dimanans: sine eis nequit subsistentiam habere: tenet ut lex: discrimen inter usum, consuetudinem, & forum constituitur: illi circa res particulares, & universales, istud vero causarum decisionem signanter concernunt: ideo majorem vim habet quàm usus, & consuetudo (*vid. in add. nov. verb. Biasphemia*) manifestum debet esse, & publicum, quapropter à foro, *id est*, loco ubi homines ad emendum, & vendendum congregantur, dicitur: ut mercatus publicæ, & palam fiunt, ita esse ornam forum valet. *Per leg. 8. qua forma est faciendum*: rationi, juri, æquitati, & justitiæ erit conforme: cum peritorum consilio, domini voluntate, & omnium beneplacito, præ oculis communem utilitatem semper habendo. *Per leg. 9. quibus modis forum tollitur*, designatur: si damnosum esse incipit, statim dissolvitur,

& vires amittit: tanto deterius quanto diutius perduret, atque sustineatur. Ad rem *vid. verb. Forum.*

CONTRACTUS IN GENERE.

SUMMARIUM.

1 **C**ontractus definitio oppugnata ac propugnata, ad num. 2.

3 **C**ontractus divisiones, ad num. 17.

18 **C**ontractus quot modis perficiantur, & quæ requirantur conditiones ad eorum validitatem, ad n. 50.

51 **C**ontractus vulgo trium contractuum, collatiivus, venditionis cum pacto francandi, an liciti sint & approbati, ad n. 53.

54 **S**ubnectuntur additiones ex aliena manu, ad n. 82.

Contractus proprie dictus est pactum, ex quo ultero citroque oritur obligatio, seu est duorum, vel plurium consensus ultero citroque obligationem pariens, qualis est v. gr. emptio, venditio, locatio; & hujusmodi, ubi venditor est obligatus ad dandam mercedem; emptor vero ad refundendum pretium. Est in re communis, & habetur ex l. Labeo, ff. de verb. significat. Nec contra hæc contractus definitionem obstat, quod inter patrem, & filium, subditum & superiorem, maritum & uxorem, & hujusmodi, detur mutua, sive ultero citroque obligatio, non tamen contractus, adeoque data contractus definitio non sit bona. Non obstat, inquam, quia respondetur statim distinguendo antecedens. Inter patrem & filium, subditum & superiorem &c. datur mutua obligatio, orta ex aliis virtutibus distinctis à justitia commutativa, v. g. ex pietate, obedientia, fidelitate, & hujusmodi, conceditur antecedens, orta ex justitia commutativa, negatur antecedens, & consequentia. Contractus enim est ultero citroque obligatio, quæ oritur ex motivo justitiæ commutativæ post mutuum contrahentium consensum.

Contractuum divisio est multiplex, relictis enim hic diversis contractibus in specie, ut sunt contractus venditionis, emptionis, locationis, conductionis, commodati, societatis, & hujusmodi, de quibus suis respective locis, contractus ut sic, dividitur primo in contractum explicitum, seu formalem, & in contractum implicitum, seu interpretativum. Contractus explicitus, seu formalis est, qui fit expresso partium consensu, & dicitur explicitus, seu formalis, quia ejus obligatio oritur ex formali, & expressa utriusque contrahentis conventionione, juxta quam procedit regula 85. Juris in 6. *Contractus ex conventionione legem accipere dignoscuntur.* Contractus implicitus, seu interpretativus est, qui fit implicite solum, & absque ulla expressa conventionione inter partes, sed interpretativa tantum, ex legis videlicet dispositione. Sic v. gr. fit in tutela, id est, quando quis in se suscipit officium tutoris, seu quodvis aliud officium; qui enim tutelam, seu quodvis aliud simile officium in se suscipit, eo ipso implicite, seu ex ipsa juris interpretatione, absque alia expressa conventionione, sese obligat erga alterum & alter obligatur erga seipsum, juxta leges, & conditiones circa tale officium receptas. Secundo dividitur contractus ut sic in contractum gratuitum lucrativum, & in contractum onerosum. Contractus gratuitus lucrativus est ille, quo ex una tantum parte oritur obligatio, ut nil petatur ex altera parte, ut donatio, legatum, precarium, commodatum &c. Contractus onerosus est ille, quo ex utraque parte inducitur obligatio, ita ut obligationi unius correspondeat obligatio alterius, ut emptio, venditio, locatio, conductionis &c. in his enim utriusque parti contrahentium aliquod onus imponitur quiddam dandi, vel præstandi. Alii vero illum appellant contractum onerosum, ex quo oritur obligatio aliquid rependi loco ejus, quod datur, ut patet in emptione, & venditione, ubi emptor est obligatus ad rependum pretium pro re sibi vendita, & venditor est obligatus ad tradendam rem pro pretio ab emptore recepto; contractum vero gratuitum illum appellant, in quo nihil